

et abbatem sancti Remigii Remensis¹ et abbatem Cysterciensem.² Cancellarius ait: Dominus papa non permittit fatigari abbatem Clarevallis, quia egrotus est; abbatem Cysterciensem, quia longinquus est. Abbas sancti Remigii nimium vicinus est, et succensetur ei, si faveret tibi; si iuvaret alterum, diceretur fecisse ob copiam deliciarum. Sed esto: accipe dominum Morinensem simulque Atrebatensem et abbatem Premonstratensem.³ Abbas ait: Duos laudo, tercium si possim recuso, id est episcopum Atrebatensem. Papa dixit: Quid metuis de illo, cum nos illum religiosum et sani consilii virum esse sencianus? Abbas ait: Idcirco metuo, quoniam pertinax est in zelo suo et imputatur ei instigatio huius laboris mei. Papa ait: Admitte illum et nos spondemus, quod tibi nullum inferret detrimentum. Rediens autem cum pace in Flandriam, quia pervius est, visitabis eum et dices illi salutem ex me adiciesque: Domine, Romanus pontifex indicit vobis sub ea fiducia, quam habet de vobis, ut nullatenus michi noceatis. Tunc abbas ad papam ait: Domine pater et tocius orbis^a pastor, quandoquidem vobis ita complacet, licet valde nociturum admitto illum ob hoc, ut intelligatis, quod sicut devotus filius vobis obedio. Papa dixit: Recte dicis et rectius agis, idcirco omnes favemus tibi. Itaque postquam sic dictum vel factum fuit, iussit papa cancellario scribere litteras eidem abbati tribuendas et convertens papa vultum suum ad cardinales dixit eis voce clara: Mea fide, homo iste magnifici cordis est. Cardinales dixerunt: Vere constanter et honeste atque curialiter peregit causam suam. Abbas ait: Domine, si me boni cordis esse sentitis, eo promptius bene mihi facere debetis. Papa dixit: Vere nos tibi faciemus, quecumque salva iusticie ratione prevaluerimus.

Alia die cum venisset abbas ante conspectum domini pape, dixit illi subridens: Quid nunc frater? Vidisti litteras tibi factas? Abbas respondit: Domine, non vidi. Ecce, ait, apud cancellarium sunt; si vis, vade et vide et renuncia nobis, an tibi placeant. Ille abiit, vidit, legit et renunciavit dicens: Bene placerent, si dominus Atrebatensis remotus fuisset; nam timor ille, qui me semel cepit, a pectore numquam recedit. Papa dixit: Tibi nostro concessu duorum electio data est; minus non decet, quam ut vel

^a) *orbis* fehlt, vgl. unten S. 114 Z. 9.

¹) Odo I. von St.-Remi in Reims, 1118 — 1151.

²) Rainald

von Cîteaux, 1133 — 1151.

³) Hugo I. von Prémontré, 1128 — 1161.